

tunc ei proposuit Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio scripsisse et emendasse. item  
 25 proposuit Maecenas Georgica, quae scripsit emendavitque septem annis. postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit annis undecim, sed nec emendavit nec edidit: unde eam moriens praecepit incendi. Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam et Varium hac lege iussit emendare,  
 30 ut superflua demerent, nihil adderent tamen: unde et semiplenos eius invenimus versiculos, ut [*Aen. I, 534*] 'hic cursus fuit', et aliquos detractos, ut in principio; nam ab armis non coepit, sed sic:

35 'ille ego, qui quondam gracili modulatus avena carmen, et egressus silvis vicina coegi ut quamvis avido parerent arva colono, gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis — arma virumque cano'

et in secundo hos versus [566—589] constat esse de-  
 40 tractos:

